

(X1877366)

25
Pi
2083

R. K.
416,
24.

A. J.
JOHANNES HUS-
MARTYR

Historicè descriptus,

&
Consensu Amplis. Facult. Phil.

SOLENNI DISPUTATIONE,
MODERATORE

DN.

M. ADAMO Rechenberg/

S. S. THEOLOG. BACCAL. ET FACULT.
PHIL. ASSESSORE,

ÆR. CHR. cl^o l^o LXXI. D. II. Dec.

Eruditis

JOHANNE WERNERO, Vratisl.

PHIL. BACCAL.
AUTORE-RESPOND.

publicè exhibitus.

LIPSIAE,

Literis JOHANN-ERICI HAHNII.



33

VIRIS,

Nobilissimo Maximè strenuo Amplissimoq;

DN. GEORGIO à Schoebel &
Rosenfeld /

Sacr. Cæs. ac per Hungariam atq; Bohemiam Reg. Maj. CON-
SILIARIO, Magdeburgi ad D. Petri & Pauli CANONICO, & in Il-
lustri Carpophorum Societate URANOPHRONIS
nomine condecorato,

Perquàm Reverendo atq; Clarissimo

DN. M. JOHANNI BARTHISIO,

In Urbe patriâ ad D. Elisabethæ Symmystæ vigilantissimo
optimèq; merenti,

Præcellenti & Clarissimo

DN. M. GEORGIO WENDIO,

Gymnasii Magdalenæi Phil. Pract. Hist. & Eloq. Professori,
& in modò laudatâ Carpophorum Soc. PLANTAN-
TIS titulo celebri,

Nec non

Integerrimo atq; Prudenti

DN. ANDREÆ BURKHARTO,

Oenopolæ ac Civi Wratislaviensium inter primarios
haut postremo,

*Dominis Patronis, Fautoribus studiorumq; suo-
rum, tam re quàm consilio, & respectivè doctrinâ
Promotoribus Maximis, colen-
disimis,*

Levidense hoc ingenii specimen

Devotâ mente, manuq;

D.D.D.

JOH. WERNERUS.



I. N. J.



Um (a) plures fuerint, qui Pontificiam Doctrinam pariter ac dominatum, ante Lutherum impugnarunt; tum (b) maximè id fecit, martyrii laude celebris, *JOHANNES HUS*. Ejus Vitam, utpotè constantiæ luculentum exemplar, evolvere, me invitavit memoria Lutheri, quam Ecclesia nostra Saxonica, nuper non sine Hussii mentione, recoluit solenniter. Nec jam abs re facturum me putavi, si historiam illius compendiosè pertexerem, ac, quæ hinc inde habent Scriptores, disponerem ordine, quò ipsum simul *MARTYREM* fuisse, facilè constaret indè. Fieri autem poterit, quando *Characteres Martyris ad Hussium* nostrum applicantur. Quod, dum facturum sum, faxit DEUS, ut feliciter eveniat!

SECTIO I.

§. I.

Martyris vocem prolixè tradere tædiosum esset. Græcia suam debet originem, ubi *Μάρτυρ* testem significat; ceu patet ex phrasibus Græcis non inusitatis. *Μάρτυρας καλεῖν, μάρτυρας ἐπάγειν*, testes citare & adducere. Derivant autem à *μεῖρειν*, dividere, fortiri, dirimere, eò quòd testes litem quasi dirimant. Indè Confessoribus, qui morte purpureâ, veritatis

Voc. Martyr orig.

A 2

tatis

(a) Catalogum illorum exhibet Matthias Flacius in lib. de Testib. Verit. qui ante Lutheri tempora reclamarunt Papæ, (b) Vid. Luther. Tom. III. Witt, p. 273.

&
N.
II.
D,
ori,
D,
10-
S.



tatis Evangelicæ testimonium perhibere non timuerent, factum est proprium.

*Mart. &
Confess.
differ.*

§. 2. Discrimen tamen refert inter *Martyrem* & *Confessorem* Annalium Baronii Epitomator, Spondanus (γ): *Constat*, inquit, antiquò loquendi usu (quod & aliàs dictum est,) *CONFESORES* esse dictos, qui licet confessi Christum essent, & carceri mancipati, nondum tamen suscepissent in quaestione tormenta: *MARTYRES* autem, qui tormentorum quoq; sevitiã constantiã superãssent, licet nondum mortem subiissent. Sed & *CONFESSORUM* numero comprehendebantur, qui alio nomine dicebantur *EXTORRES*: hoc est, qui ne Christum negare cogerentur, neve per ipsos religio dispendium pateretur, dimisis omnibus bonis se subtraherent: quæ facti potius, quàm verborum confessio videbatur: & hi, si eò statu mortem oppetiissent, numero Martyrum recensebantur. Qui verò non interpellati se martyrio ingererent, dicebantur *PROFESSORES*. Constat hoc ex Tertulliani, Cypriani & aliorum veterum Auctorum scriptis. Ejusmodi Martyrum, primi & secundi seculi à Christo nato, Catalogum exhibet Dn. D. Bebelius. (δ)

*Abusus tit.
Martyr.*

§. 3. Cæterum, quod aliis aliàs titulis accidere solet, ut iis superbiant indigni, id *Martyris* religiosum nomen quoq; expertum est dudum. Nulla etenim fermè secta fuit, quæ non suos Confessores ob religionem pressos, Martyrum numero censuerit. Catalogum ejusmodi Pseudo-Martyrum conscripsit Baronius. (ε) Quamquam in eò ipsemet turpiter hallucinetur, quòd Garnetum, Lojolitam & socios ejus, conjurationis in Anglia hòc seculò contra Regem & Proceres susceptæ auctores convictos, martyrum titulò honestet, eorumq; morte, tanquam justorum, mori exoptet. (ζ) Egregii verò Martyres, qui parricidii sanguine priùs manus commaculare non verentur, quàm mortem ob commissum crimen sustineant. Non pœna, sed caussa Martyrem facit. Hussio nostro jure illum honorem competere, ex historiã, adductis Martyrum simul notis, clarè demonstrabimus.

§. 4.

(γ) Ad. A. C. 253. Num. II. fol. 211. (δ) D. Bebel. in Antiq. Eccl. p. 86. 87. 88. & 354. seq. (ε) Baronius in Martyr. Rom. c. X. prælimin: Conf. Dn. D. Bebelii Antiq. Eccl. Sect. III. artic. V. §. 32. (ζ) Baron. in Martyr. Rom. c. IIX. prælim. & ad D. XXIX. Decemb. p. 793.

§. 4. Primus verò, stylo Ecclesiastico, *Martyris Character* est de *Veritate cœlesti seu divinâ testimonium, sive illud ad primam, sive ad secundam Decalogi tabulam pertineat, perhibere, quod præstitère Martyres, quotquot ex Historiâ Ecclesiasticâ innotuerunt genuini.* Hâc vero laude & Hussium dignum esse, doctrina ejus integris (η) duobus voluminibus descripta (quam & ad mortem usque constanter professus est,) luculenter ostendit. Partem illius, cum innocentiam Viri adduxerimus, mox dabimus descriptam. Quamquam & illud Pontificiis (salvò interim Martyris titulò), concedi posset, fovisse & Hussium nondum perfectè illuminatum aliquos errores, (θ) tamen non propter illos, sed Veritatis Confessionem perpeffus est mortem. Perindè ut Cyprianus, errore non levi imbutus, Martyrum Catologo non expungitur; ita nec poterit Hussius, si vel maximè alicubi hallucinatus esset.

1. Character
Martyris
Hussio ap-
plicatur.

§. 5. *Alter Martyris Character* est, ut sit *Confessor regeneratus.* Nam qui non est apud Deum in gratiâ. (ut irregeneriti,) quomodo is morte suâ Deo gratam Confessionem edet, eumque celebrabit? Et hæc est causa, cur Papinianum Jctum, quòd fratricidium Caracallæ excusare nollet, capite truncatum, inter Martyres propriè referre nolit D. Dannhauverus (ι). Inò in primitivâ Ecclesiâ disputari cœptum est, num Catechumeni, ob Christianam fidem occisi, Martyrum titulò insigniri possint, cum Sacramento Baptismi nondum fuissent tincti. Nos autem Theologorum Schola erudiit, privari illos eò nomine non posse, propter regenerationem, quam ex verbo Dei, semine spirituali, habuère. Quæ alii de baptismo sanguinis fingunt, blasphema esse illa statuit idem D. Dannhauverus (κ). Hussium verò nostrum fuisse regeneratum, non eget probatione, cum penes omnes in confesso sit, egisse illum Pragæ in templo Bethlehem, Evangelii Concionatorem, quale munus non nisi Christianis concedi solet. De parentibus Johan-

2. Marr.
Character
Hussio ap-
plicatur.

(η) Norimbergæ in officinâ Joh. Montani & Ulrici Neuberi A. Dni. 1558. impress. (θ) Heriberdus Rosvveydus Tr. de fid. Hæret. serv. & Pistorius à Lutheri doctrinâ multum distensisse Hussium blaterant. Confutavit utrumq; D. Dannh. in Colleg. Decal. Disp. V. qv. 7. (ι) Dannhauv. Christeid. Act. 1. Opt. Dram. Theatr. III. Phænom. 11. (κ) Id. Hodof. Christ. P. hænom. X. p. 998. & 123.

um,
fesso-
in-
ES-
man-
TY-
sent,
nu-
ES:
o di-
e fa-
rtem
ter-
ES.
um,
risto
ut
ex-
n su-
cen-
Ba-
vòd
hoc
os,
mo-
ne
om-
fa-
ad-
4.
Ecll.
nin:
in



nis Hussii parum constat. Æneas Sylvius (λ) obscurò locò natum esse scribit, dictumq̄ve Johannem ex Villâ Hus, quod anserem significet. Ex vetusto quodam (μ) codice de ejusdem gradibus dignitatis hæc referuntur :

M. Johannes Hus factus est	}	Baccalaureus in Artib9	} - - {	1393.	
		Magister Artium		1396.	
		Sacerdos & Prædicator		Anno	
		in Bethlehem		{ Dni.	1004
		Decanus,		- -	1401.
	{	Rector Universitatis.	- -	1409.	

3. Mart.
character
Hussio ap-
plicatur.

§. 6. *Innocentia facti & cause, tertius Martyris Character est, quoniam non pœna, sed causa Martyrem facere solet. Pœna enim communis est latroni & martyri & heretico & Catholico, sed causa dispar, ait Augustinus (v). Et hæc de causâ latronem in cruce conversum Luc. 23, 41. dignamq̄; factis suis pœnam ferentem, unâ cum celebri (ex libro de Cor. Milit. Tertulliani) milite, martyrum Catalogo eximit, quem suprâ laudavimus Dannhavverus. (ξ) Quamvis pro eo Apologiam Tertullianus (Montani venenò infectus,) adornârit prolixam. Crassior est error (an dicam improbitas ?) Lojolitarum, qui Garnetum (o) convictum de Conjuratone tollendi Regem Angliæ, Proceresq̄, justâ morte sublatum, ceu jam superiùs memoravimus, inter Martyres referre non erubuerunt. Innocentiam illorum, quæ vulgata sunt, Acta proditoria, orbi fatis reddiderunt notam. Sed ad nostrum Martyrem, Hussium, redeamus oportet; ac ut ejus innocentia magis queat cognosci, in compendiò Historia Viri adornanda est. Nimirum gemebat sub Romani Pontificis ac Clericorum tyrannide tum temporis Ecclesia, purâ & liberâ verbi Dei prædicatione destituta. Quod post Waldenses animadverterat Joh. Wiclefus, natione*

(λ) Æn. Sylv. in Hist. Bohem. c. XXXV. fol. 103. (μ) Vid. Hist. & Monum. de Joh. Hus & Hieronym. Prag. Tom. 1. sub Catalogo Scriptorum ab ipsò editorum. In quibusdam literis dicitur Joh. de Hussenitz. Plura de familia & educatione Hussii nobis non suppetunt. (v) Augustinus in Ps. 34. (ξ) Dannh. Christeid. l. c. (o) Eudæmon. Apolog. c. 9. p. 245. & c. ult. Svaretz Defens. fidei Cathol. l. 6. c. 11. n. 7. Nuper Romæ à Clemente X. horum Canonisatio à Lojolitis rogata fuit, quam recusavit Pontifex.

ne Anglus, Vir, Bzovio (π) & Genebrardo (ρ) testibus, acer ingenio & eloquentia non mediocri, qui circa A. C. 1370. multa contra receptas seculi sui opiniones & dogmata scribere cepit, quibus Clerici maxime fuerunt irritati. Hic Discipulum non degenerem nactus est (σ) *Joh. Hussium*, qui acceptis a Nobile Bohemo libris Wiclefi, (quos ille ex Anglia, ubi Oxoniae literis operam dederat, attulit,) in doctrina puriore profecit, ac Pragae contra Teutonicos Pontifici & curiae Romanae addictissimos disputavit. Ac cum deinceps Teutones a Bohemis offensi, desertam Pragensem Academiae, (τ) Musas suas Lipsiam transferrent, *Johannes Hussius* liberius Pragae docuit. Quo factum, ut postea in templo Bethlehem recens-fundato constitutus fuerit Concionator, ubi Bohemicam linguam doctrinam Wiclefi sedulo inculcavit: scilicet Pontificem Romanum ceteris Episcopis esse aequalem: Purgatorium fingi: Preces pro mortuis esse avaritiae Sacerdotalis inventum: Imagines Sanctorum non esse colendas: Aquas benedictas superstitionem invenisse: Mendicantium religionem esse hypocrisim Diabolicam: Confirmationem & extremam Unctionem non esse Sacramenta: Confessionem auricularem esse nugacem, & quae sunt multo plura dogmata, a Nauclero (υ) & Aenea Sylvio recensita. Sed his concionibus valde exacerbavit Clericos ac Episcopum Pragensem, qui eam de causa, Johanni Hussio praedicatione interdicta, libros Joh. Wiclefi, adhibitio doctorum consilio, (ϕ) publice cremari jussit; & cum Wenceslaus Bohemiae Rex Johanni Hussio plebique illi addicto nollet resistere, (χ) Subinco Archiepiscopus abs Hungariae Rege, Sigismundo

*Occasio
Hussio ad
reformat.
datae*

*Dogmata
Hussii*

Hussii doctrina clericis molesta

(π) Bzov. A. C. 1352. S. 15. (ρ) Genebrard. l. 4. p. 704. dogmata ejus Walsinghamus ap. Bzov. A. C. 1377. S. 5. recenset. Confer Flacii Catal. Test. Verit. p. 846. seqq. In Anglia A. C. 1387. d. 31 Decemb. mortuus, corpus ejus Martini Pontificis jussu exhumatum ac publice A. C. 1428. condreematum fuit. Cum viveret, multos summos Viros habuit, qui suum institutum probarunt. Vid. Bzov. A. C. 1387. (σ) Vid. Aeneam Sylvium l. c. (τ) Aen. Syl. Hist. Boh. c. 35. fol. 103. adde Dubr. Hist. Boh. I. 23. fol. 223. (υ) Ex Nauclero compendiosè recenset Hottingerus Hist. Eccles. Part. 3. p. 911. sq. quae etiam legi possunt ap. Aen. Syl. l. c. f. 103. sq. Facili operam ex Scriptis ejus, quae duobus tomis comprehensa extant, Systema Theologiae Orthodoxae adornari posset. (ϕ) Vid. Act. & Mortem Martyrum Joh. Crispini, qui historiam & causam Hussii prolixius pandit p. 11. 12. sqq. (χ) Dubrav. l. 22. fol. 223. sqv.

atum
m si-
s di-
1193.
1396.
1004
1401.
409.
r est,
enim
causa
con-
a, una
arty-
verus.
enenò
n im-
Con-
ubla-
e non
pro-
yrem,
qveat
airum
e tum
stitu-
natio-
ne
Hist. &
rum ab
lura de
in Pf.
245. &
emente
ifex.



mundo, petiit, ut Hussi asecclas opprimeret. Verum morte præ-
 ventus, auxilio sperato non fuit exhilaratus. Accessit deindè a-
 lius non minùs religiosus Concionator Pragensis, *Jacobellus Misen-*
ensis, Communionem Eucharisticam sub unâ specie impugnans.
 Didicerat enim ex Petro Dresensi, (seu potiùs Dresdensi,) qui ex Mis-
 niâ Pragam concesserat, Eucharistiam populo sub utrâq; specie
 administrandam esse. Rationem, quam adduxit, refert modò
 citatus Æn. Sylvius & Dubravius. Indè accidit, ut Hussius, & qui
 ei ad stipulabantur, iram & Clericorum & quorundam Politico-
 rum in se concitarent gravissimam. (↓) Res Romam ad Pontifi-
 cem Johannem XXIII. tanquam supremum Judicem A. C. 1411. de-
 lata, Hussioq; hæresis imputata fuit. Papa rem omnem Cardi-
 nali de Columna commisit judicandam, qui, dictâ die, Hussium
 citavit Romam. Sed Wenceslaus Rom. & Bohem. Rex, flagi-
 tante id conjugè suâ Sophiâ, ac universâ Nobilitate Bohemicâ, per
 Legatos â Pontifice impetravit, ut propter pericula, quæ Virum
 in itinere expectabant, hoc judiciò liberaretur. Interim Hussius
 ante constitutum diem procuratores, qui causam suam agerent,
 Romam misit. Sed ipse sine ratione hæreticus pronunciatus,
 procuratoribus, innocentiam urgentibus, carcer dictatus fuit, Hus-
 sius indè ad JESUM Christum appellavit.

*Hussius
 Romæ ac-
 cusatur.*

*Hussius ad
 Concil.
 Constant.
 vocatur.*

§. 7. Instabat *Synodus Constantiensis*, quæ Pontificis Rom.
 & Sigismundi Roman. & Hungariæ Regis consensu A. C. 1414.
 indicta fuit, ut lites, quæ Ecclesiam distraxerant, publicò nomine
 sopirentur. Hinc Imperator, infamiam hæreseos, (cujus Bohe-
 mi præcipuè postulabantur,) declinaturus, aliquibus Bohemiæ
 nobilibus mandavit, ut *Job. Hussium* ad Concilium adducerent,
 simulq; propter securitatem literas Latinè & Germanicè scriptas
 indulfit, quæ, omiſſis titulis, ita habent:

*Salv. con-
 ductus
 Hussio in-
 ductus.*

(ω) *Venerabiles, Illustres, Nobiles & fideles, dilecti, honora-
 bilem Magistrum, Job. Hus, sacre Theologie Baccalaureum & Artium
 Magistrum, presentium ostensorem, de regno Bohemiæ ad Concilium
 generale, in Civitate Constantiensi celebrandum in proximo, transeun-*

tem

(↓) Æn, Syl. loc. cit. fol. 104. Dubrav. l. c. f. 225. (ω) Ita exhibet,
 Crispinus l. c. p. 12. fac. b. 1. & Tom. 1. Monum. cit fol. 1. b.

tem, quæ etiam in nostram & S. Imperii protectionem recepimus & tutelam, vobis omnibus, & Vestrum cuilibet plenò recommendamus affectu, desiderantes quatenus ipsum cum ad Vos pervenerit, gratè suscipere, favorabiliter tractare, atque in his, quæ ad celeritatem & securitatem itineris ipsius pertinent, tam per terram quàm per aquam, promotivam sibi velitis ac debeatis ostendere voluntatem, nec non ipsum cum famulis, equis & aliis rebus suis singulis, per quoscunq; passus, portus, pontes, terras, dominia, Jurisdictiones, Civitates, oppida, castra, villas, & quælibet alia loca vestra, sine ullâ solutione, tributi, telonii, aut alio quovis solutionis onere, omniq; prorsus impedimento remoto, transire, stare, morari, & redire liberè permittatis, sibiq; & suis, cum opus fuerit, de securo & salvo velitis & debeatis providere conductu, ad honorem & reverentiam nostræ Majestatis. Datum Spira Anno Domini M. CCCC. XIV. die Octob. XVIII. Regnorum nostrorum Hungariae &c. Anno XXXIII. Romanorum verò V.

S. 8. Hòc, quem vocant, salvo conductu munitus Hussius, læto animo iter meditabatur. Ac ne quem fugeret suus abitus, literis, Pragæ priùs publicè, foribus templorum passim affixis, significavit illum, simul rogans, si cui suspecta fuisset doctrina, aut id coram Archiepiscopo Pragensi Conrado, aut, si malit, in Synodo instanti Constantiensi proponeret; se ad Doctrinæ & fidei suæ rationem reddendam esse paratum. Hoc etiam ab (a) Episcopo Nazarethensi Nicolao, Inquisitore pravitatis hæreticæ, in civitate & Diœcesi Pragensi à sede Romanâ constituto, humiliter petiit: at ille literis A. M. CCCCXIV. die penult. Augusti exaratis respondit, se multa sæpiùs cum Hussio communicasse, neq;ve unquam in eo quicquam Viro pio & fidei indignum cognovisse. Quo facto, viam Constantiam versus ingressus est. Comites itineris habuit duos Nobiles, Dn. Wenceslaum de Duba & Job. de Chlum. Quas urbes celebriores transiit, illis præsentiam his prope modum verbis significavit (b): Job. Hus jam pergit Constantiam,

Hussius ab-
itum ad
cõcil. Praga
intimat.

Comites in
itineris Hufe
sius habet
ad
duos Nob
biles.

B

(a) In testimonio citati Episcopi extat, quòd Hussius examinatus, in omnibus suis dictis, actibus & gestibus se virum fidelem & Catholicum esse probaverit, & nihil mali vel sinistri, seu quòdcunq; modò erronei in eo ad illud usq; tempus repertum fuerit. vid. Tom. 1. Hist. & Monum. cit. f. 2.
(b) Crispin. l. c. p. 13. Tom. 1. Hist. cit. f. 1. 2. & 4.

præ-
dè a-
Mise-
gnans.
xMis-
specie
modò
& qui
tico-
ntifi-
ii. de-
Cardi-
ffium
flagi-
â, per
Virum
ussius
erent,
iatus,
Huf-
Rom.
1414.
mine
Bohe-
emix
erent,
riptas
nora-
rtium
cilium
seun-
tem
hibet,



ad ostendendam ibi fidem, quam hactenus tenuit & nunc tenet, & usq[ue] ad mortem, prestante Christo Domino tenebit. Et sicut antea per totum regnum Bohemiae notas fecit suas intimationes & literas, volens in conventu generali curiae Archiepiscopalis Pragensis de sua fide rationem reddere, & ante exitum suum cuilibet aliquid sibi objicienti satisfacere, ita & in hac solenni imperialiq[ue] civitate notificat, si vult aliquis errorem vel haeresim aliquam imponere, ut se ad concilium praepararet. Clam ut transire nuspiam, ita nec docere, causae bonitati fides, unquam voluit. Norimbergae, ubi honorifice exceptus fuerat, publice cum Sacerdotibus & Senatoribus in altam usq[ue] noctem de religione sermones miscuit, Tertia die Novembris, una devigesima, ex quo Pragae discesserat, Constantiam venit. Postridie ejus diei Hussii adventum, (c) Joh. de Chlum & Henricus Lazembog Pontifici Romano indicant, rogantes, ut per ipsum quoq[ue] gratiam Salvi Conductus, quem Imperator indulgisset, frui liceat eidem secure. Quibus tum Pontifex respondit. *Etsi Johannes Hus fratrem sibi germanum occidisset, tamen se id nullo modo commissurum, quantum in ipso situm, ut aliqua ei fiat injuria, quamdiu Constantiae futurus sit.*

Hussius
Constantiam venit.

Hussii
accusatores.

Hussius
privatim
respondere
venit.

§. 9. Interea maximi ejus adversarii, Magister Stephanus Palez Bohemus, & Michael de Causis (d) offensi quondam abs Hussio suam culpam, operam dabant maxime, ut invidiam ei penes Concilii Patres concitarent majorem. Nec ausus eventu caruit. Nam cum ipse ad sextum & vigesimum usq[ue] diem Constantiae fuisset tutus; octavo demum & vigesimo die, Cardinales, qui tunc erant Constantiae, duos ex Episcopis, Augustanum & Tridentinum, Consulem praeterea Civitatis Constantiae & Equitem quendam in diversorium Hussii miserunt, ut coram eis doctrinae suae, quod saepenumero optasset, perhiberet rationem. Verum renuit Hussius privatim fidei confessionem edere, quandoquidem nunquam id desiderasset, quin potius in universa Synodi congregatione, se aperte, sine ulla dubitatione, cum Deo respondere ad interrogata paratum esse, ingenuè fassus est ac flagitavit etiam. Instantibus Episcopis, Hussius, ascensio equo, quem secum habebat, cum Dn. Joh. de Chlum illos in curiam Papae & Cardinalium est secutus. Quo cum venisset, Cardinalesq[ue] pro more salutasset, illi de erroribus

(c) Tom. I. cit. Hist. f. 4. (d) ibid. f. 4. 6.

ribus suis maximis, haftenus per Bohemiam sparsis, ceperunt
 quærerere. Tum Hussius respondit, sibi nec unius conscium esse:
 si tamen alicujus convinceretur, paratum esse ad suscipiendam in-
 formationem. Quam declarationem Cardinales approbarunt.
 Interim relicto Hussio ejusq; Comite, Joh. de Chlum, sub arma-
 torum custodia, abierunt, subornantes. Sophistam ex Ordine Mi-
 norum, qui rixosis ac molestis quæstionibus Hussium detineret,
 dum ipsi in curiam Papæ, deliberaturi quid de Joh. Hussio facien-
 dum esset, redirent. Accusatores a supra nominati, Hussio illude-
 bant his verbis: *Jam te habemus in nostrâ potestate, unde non exhibis,
 donec persolveris extremum quadrantem.* (e) Mox ingruente nocte
 Præfectus curiæ Romanæ missus est, ut Johanni de Chlum diceret,
 licere sibi in diversorium suum reverti (f). Quò auditò, indigna-
 tus ipse vehementer, quòd fictis verbis lactassent optimum Virum,
 Papam adit, ac fidei datæ violationem in memoriam revocat: is
 non ex suò mandatò rem gestam esse contra Hussium, sed ex Car-
 dinalium & Episcoporum potestate asseverat. Frustra igitur ro-
 gante Chlumio, Hussius in monasterium ad Rhenum perductus,
 squalido ibidem carceri mandatus fuit, qui viro optimo febrim
 attulit gravissimam, ut inde, cum de ejus vitâ desperarent, Ponti-
 fex aliquot ex Medicis eò miserit, qui eum sanitati restituerent.

*Hussio da-
 ta fides & a-
 olatur.*

*Hussium
 carcere
 conclusi-
 tur.*

§. 10. Accusationes iniquæ interea temporis ne utiqvam
 cessarunt. Articuli accusationis, qui primùm Papæ Johanni
 XXIII. per Michaëlem de Causis fuerunt exhibiti, in hanc sum-
 mam possunt redigi (g) : I. *Quòd asseruerit Communionem sub u-
 traq; specie.* II. *Transubstantiationem in Eucharistiâ negarit.* III.
*Ministros Ecclesiæ in mortali peccato constitutos non posse administra-
 re Sacramenta asseruerit.* IV. *Ecclesiam esse Papam & Cardinales cum
 Episcopis negarit.* V. *Ad Ecclesiam temporales possessiones non perti-
 nere asseveraverit.* VI. *Episcopos & Presbyteros habere æqualem po-
 testatem adstruxerit.* VII. *Teutonicos Magistros per contradictio-
 nem & brachium seculare ex Scholâ Pragensi expulerit.* VIII. *Appro-
 bavit & docuerit XLV. articulos Wiclefiâ Magistris Theologie da-*

*Accusatio-
 nis contra
 Hussium
 capita.*

B 2

mna

(e) Crisp. l. c. & Hist. cit. Tom. 1. f. 5. (f) Crispin: l. 1. de Hist.
 Martyr. p. 14. (g) Hæc accusationis capita Crispinus verbis, quibus conce-
 pta fuerunt, exhibet. l. c. p. 15. 16. conf. etiam cit.: Hist. f. 6. & 7.



natus, IX. Censuram Ecclesiasticam ab autoritate Romanâ profectam vilipenderit. Inter hæc accusationis capita tertium erat factum propter correptionem, quo justo zelo taxaverat clericorum luxum ac improbitatem, argumento inter alia petito ab officio, quod qui sacramenta tractarent, multò magis Vitæ inculpatae studere deberent quam alii. Cætera vel veritatem continuisse à Theologis nostris non semel fuit argumentis evictum.

Judices in
causâ
Hussii.

Hussio de-
negatur
Advocatus.

Hussius in
aliâ carce-
rem trans-
fertur.

Nobil. Boh.
& Polon.
pro Hussio
interce-
dunt.

§. II. Judices, (h) qui de his capitibus cognoscerent, dati sunt Patriarcha Constantinopolitanus, Episcopus Castellæ, & Episcopus à Libus. Illa, postquam testimoniis & juramentis quorundam sacrificulorum Pragensium essent confirmata, Johanni Hussio, in carcere febris adhuc laboranti fuerunt prælecta. Hussius petiit sibi concedi Advocatum; recusârunt Patres, quòd Juris Pontificii auctoritate esset prohibitum, alicui propter hæresin suspecto indulgere patrocinium. Palez postmodum alios accusationis articulos ex Hussii libro de Ecclesiâ excerpfit, qui curiæ Romanæ non fuerunt approbati, quoniam ejus auctoritatem adfectatam convellebant insigniter. Interea (i) Pontifex Romanus Johannes XXIII. mutatis vestibus, ob varia crimina, Constantiâ se subduxit, quem ministri ejus, Hussii carceri adstantes, traditis clavibus Sigismundo Regi & Cardinalibus, confestim sunt secuti. Hinc ille trans Rhenum in arcem deportatus, novo carcere compedibus vinctus, fuit detentus.

§. 12. (k) Nobiles Bohemiæ & Polonica Nationis Hussii fatum ægrè habuit. Quare pro ejus liberatione ad Concilium constantiense literas, d. 14. Maji A. 1415. exhibitas, transmiserunt, quibus fidem publicam tuti itineris ab Imperatore datam, viriq; innocentiam demonstrarunt. Allata itidem fuerunt testimonia Universitatis Pragensis, & Nicolai, Episcopi Nazarethensis, quæ de ejus innocentia testabantur. Iterum supplici libello dicti nobiles, oblatis vadibus & sponsoribus, petierunt saltem liberio-
cu-

(h) cit. Hist. Tom. 1. f. 1. Hos judices assumisse Theologiæ Canonumq; sacrorû peritissimos Viros, ad discutienda Hussii dogmata atq; processum contra eundem dirigendum, Fr. Long. à Coriolano in Summa Concil. f. 359. refert. (i) ib. f. 859. f. 19. (k) Crispinus l. c. p. 17. & cit. Hist. f. 7. 8. 10. 11.

custodiam, quò commodiùs examinari & benigniùs tractari posset. Respondit omnium nomine ac recusavit Patriarcha Antiochenus, adductâ ratione iniquissimâ; nempe, si Hussi9 injustè accusatus declaretur, fore ut adversarii in perpetuam incidant ignominiam. Deinde quòd fidei iussores attineret, etiamsi mille dentur; tamen fieri non posse, salvâ conscientia Deputatorum Concilii, ut recipiantur in causa ejus Viri, cui nullo modo fides habenda sit. Denuò Hussii defensores ab Imperatore similiter rogant Viri liberationem, propter saluum conductum clementer indultum: sed prævaluit Clericorum turba.

*Intercessio
rejecitur.*

*Hussius fi-
de pu-
blicâ indi-
gnus decla-
ratur.*

§. 13. Die V. Junii ingens (1) Cardinalium, Episcoporum & Clericorum multitudo confluit, ut absente Hussio articulis accusationis examinatis, condemnarent illum. Facti iniquitatem observans Petrus de Maldonyevvitz, Notarius, rem Wenceslao de Duba & Johanni de Chlum exposuit, qui Sigismundo Imperatori causam referentes, impetrarunt, ut Ludovicus Comes Palatinus Heidelbergensis & Fridericus Burggravius Norimbergensis fuerint missi, qui requisiverunt à Concilii Præfectis, ut in causa Hussii nihil decerneretur, priusquàm ipsum æquo animo audivissent, articulosq; deprehensos erroneos ad Imperatorem mitterent, quò à viris & doctis bonis examinarentur.

*Hussium
absentem
Clericorum
turba da-
mnare ni-
tur.*

§. 14. Res ita gesta fuit. Interea Wenceslaus de Duba & Johannes de Chlum concilio quosdam Johannis Hussii libellos obtulerunt, ex quibus articuli accusationis desumpti erant, quò constaret eorum veritas & falsitas. Hussius in publico confesso Episcoporum, se eorum autorem confessus est, & paratum, si

*Hussii re-
sponso
impeditur.*

B 3

quid

(1) Si Cochlæo in Hist. Hussit. l. 2. (ap. Coriolanum f. 866.) credendum, in hoc conciliabulo quatuor Patriarchæ, Cardinales 29. Archiepiscopi 47. Episcopi 160 & Abbatum, Præpositorum, Priorum & omnis generis Clericorum ingens numerus confluxerunt. Sed omisit matres publicas, quas Gesnerus in præfat. Epit. Concil. numero 450. recenset. Sleidanus autem l. 3. Comment. f. m. 271. refert, tres Patriarchas interfuisse Synodo, nempe Aquilejensem, Antiochenum, Constantinopolitanum: Cardinales 28. Episcopos 150. Theologos & Jurisperitos complures, Italos, Germanos, Gallos, Britannos, Pannonios, Polonos. Miranda itaq; est improbitas tot tantorumq; hominum ac conspiratio in hominis innocentis caput.

quid erroris inesset, emendare. At cum unus articulus duntaxat fuisset cum paucis testimoniis prolatus, Hussium respondere volentem tota simul multitudo undique clamoribus obruit, nullum ut omnino verbum facere posset. Victus igitur vociferationum immanitate, & convitiis, tacuit tandem, quod Sycophantæ desperatæ causæ signum interpretabantur. Propter confusionem, iudicii, quidam moderatores rem differre suaserunt.

Hussius iterum iudicio sistitur & accusatur.

§. 15. Die VII. Junii iterum coram iudicio publice, præsentente Imperatore Sigismundo, sistebatur. Michaël de Causis repetebat accusationem, maxime exaggerans, quod Hussius XLV. Articulos Wiclefi approbasset defendissetque. Respondit ipse cum S. Scripturâ convenire illos, quare conscientia habitâ ratione, non potuisset condemnare. Hoc Cardinales, imprimis Cameracensem admodum momordit. Inde alios (m) numero triginta & novem accusationis articulos attulerunt, quos inter gravissimus erat, *Pontificiæ dominationis impugnationis*. Tandem post varias tentationes, quæ Sophistæ, imprimis Anglus nomine Stokes, impetebant Hussium, adducti fuerunt (n) novendecim articuli, à Parisiensibus, autore Gersono Cancellario Parisino, adversus eundem compositi. Nec dum finis accusationis; nimirum tres ex Hussii doctrina id profecisse, ut Bullæ Pontificiæ contradixissent: ac cum hæc de causâ Pragæ capite fuissent plexi, Hussii curâ non sine pompâ fuisse elatos. Quod cum Hussius negaret, Palez & Naso iterum contra illum insurrexerunt, asseverantes, populum, etiam concione quâdam adversus Magistratum ab eò fuisse concitatum. Verum cum probare non valerent, Joh. Hussius falsam accusationem Deo iusto iudici commisit.

Summa accusationis Hussii.

§. 16. Summa igitur accusationis si quærat, fuit doctrina Hussii, quâ cum Pontificiorum errores in fide, tum maxime

(o)

(m) Excerpterunt illos ex libro Hussii contra Stanislaum de Znoima scripto. (n) Parisienses Magistri in citatis articulis itidem in Hussio accusant Wiclefi doctrinæ approbationem. Gerson quidem non simpliciter Zelum Hussii contra Prælatorum & Clericorum vitia improbat; negat tamen esse Zelum discretum, quia illa vitia non possent tolli. Quæ ratio non sapit Zelum cum Scientiâ. Vid. Crisp. l. c. p. 20.

(o) Papæ Romani dominatum ac Clericorum perversos mores castigaverat. Nam gravi morbô laborâsse illo tempore Ecclesiam, medicinâqve indiguisse, non ipse solùm, sed alii (p) Doctores illius & vicini temporis valdè deplorarunt. Lutherus autem, & Parastatæ asseruerunt argumentis, quæ nondum pudefacta curia Romana potuit prosternere. De Maximiliano I. Imperatore refertur, quòd dicere solitus sit: *He, he, fecerunt bono illi viro injuriam.* Erasmus Roterodamus (q) [Luthero teste,] expressè scribit: *Johannem Husium exustum quidem, sed non convictum esse.* Alia testimonia prætereo. Exinde *Husii Innocentiam*, ad martyrii laudem requisitam, satis omninò constare posse, opinor.

§. 17. *Quartus Martyris Character est, ut ne invitatus trahatur ad confessionem morte obsignandam.* Quamquam enim non semper voluntas adsit prædeliberata, sufficit tamen vel simplex, qualis haut dubiè fuit (r) Protomartyrillorum Bethlemiticorum, quorum ætas nec dum habilis ad pugnam, idonea extitit ad coronam, ut loqui amat Cyprianus (s) *Qui (t) testis est, fideles sui temporis accurrisse ad martyria.* *Κυρίωματι γὰρ ἔτρεχον τὸν τῆς ἀνωλέθρου ζωῆς πρόξενον λαβεῖν ἡμειρόμενοι θάνατον,* ait (v) Theodoretus. (x) Eusebius similes fere historias nobis reliquit. Plura exempla collegit D. Dannhavverus (y), quæ tamen promiscuè non sunt admittenda. Fuerunt enim olim, qui vel *ἀποθεόσεως* causâ, vel alio imtempestivo motu abrepti, ad mortem properarunt, quos martyrii coronâ indignos judicavit Hieronymus (z). Promptitudo (*) illa moriendi *χάρισμα* Spiritûs S. est, quod ex circumstantiis personæ diligenter expensis, facilè à prudentibus Christianis potest dignosci, à temeritate

4. Martyr character est non invita mortis perpesio.

(o) Vid. libr. Huss. de Antichristo & Membrorum ejus Anatomia, it. Tom. 1. cit. Hist. à fol. 316. usq; 460. (p) Vid. Flacii Cat. Test. Verit. cit. & Confess. Cath. B. D. Gerh. (q) Lutherus in scripto, Epistolis Hussii Anno 1537. editis, subjuncto, ubi Theologos mōner, ut exemplo Hussii proficiant, nec ad Papistarum concilia veniant. (r) ita vocat D. Dannhavverus in Christeid. p. 633. (s) l. 4. Epist. 6. (t) Idem l. 1. Epist. 2. (v) Theodoretus l. 5. c. 38. in medio, ubi tria notabilia exempla adducit. (x) Euseb. l. 7. c. 11. (y) Dannh. Chreisteid. p. 633. sqq. (z) Hieronym. l. 3. Epist. ad Galat. c. 5. (*) Act. XX. 7. conf. Annotat. Bezæ.



Hussius non coactè ad concil. sublestæ fidei venit. tate illorum, qui nullo inquirente mortem quæsi-
verunt. *Hussius noster* genuino illo martyris Characterè fulget. Nam si pauca
ex historia repetimus, omnia illa promptitudinem ac volunta-
tem morte suâ doctrinam Christi confirmandi loquuntur. Potuisset
hoc mortis genus effugere, si, cum ad Constantiense concilium
vocaretur, aut † se subduxisset, aut, quod volebat Clericorum tur-
ba, agnitam Veritatem abnegasset publicè. Ast pluris erat Hus-
sio Nominis divini intemerata confessio, quàm vitæ vel dulcissi-
ma aliàs usura.

s. Mart. Character est constantia in agnitâ veritate usq; ad mortem.

§. 17 *Ultimus*, isq; necessarius *Martyris Character est Con-*
stantia in agnitâ veritate, usq; ad mortem ab hoste illatam, si illa et-
iam vel maximè contumeliosa sit. Nam qui olim graviora passi, ab
agnitâ veritate iterum resiliuere, incluto Martyris nomine indigni
fuerunt habiti. Tales erant quandoq; *Libellatici* ac *Traditores*,
(quos vocant,) metu suppliciorum graviorum Christiani nominis
professionem sæpius occultantes. Ubi tamen cum D. (α) Dann-
havvero observamus, & illos, Ecclesiastico stylo, martyris appel-
lationem mereri, qui, licet mortem nondum subierint fuderint
quæ sanguinem, saltem tormenta sustinuerint, ac ob veritatis
confessionem carcere fuerint detenti. Pertinet huc dictum Luci-
feri, Episcopi Calaritani in Sardinia, ad consilium Constantii va-
riè excarnificantis orthodoxos, sed non interficientis, ne de mar-
tyrio gloriarentur: *non mors tantummodò, scribit, beatos milites*
Christi facit, sed tormenta etiam, quantò fuerint graviora, tantò ma-
jorem virtutis gloriam pariunt. Hâc de causâ martyris laudem,
Danieli in leonum lacu, ejusq; sociis in fornace Babylonicâ con-
servatis, ac à morte liberatis, vindicat Dannhavverus. Contrâ,
eandem idem denegat illis, qui *Voto* tales esse cupiunt, ut Franci-
scus, à (β) Cornelio à lapide eapropter commendatus, aliiq;ve.
Nec prætereà illos facimus cum aliquibus autoribus martyres, qui
quæsitâ morte vitam profuderunt. Tales (γ) fuerunt virgines
ac mulieres, quæ, ne ad stuprum cogerebantur, olim studio manuq;ve
sibi

† Vid. Tom. 1. cit. Hist. fol. 14. (α) Dannh. in Christeid. p. 635.
(β) Cornel. à lapide ad Matth. c. 2. p. 76. (γ) Exempla habentur ap. Eu-
rebiu. l. 8. c. 12, & 26.

o
i
s
-
t
s
-
e
s
-
u
-
i-
e.
vi
es
ve
bi
-
ss.
u-








QH II: 2083

UNIVERSITÄTS-
UND LANDESBIBLIOTHEK
SACHSEN-ANHALT
MAGDEBURG

ML

1007





I R I S,
acimè strenuo Amplissimoq;
GIO à Schoebel &
Rosenfeld /
am atq; Bohemiam Reg. Maj. CON-
D. Petri & Pauli CANONICO, & in Il-
n Societate URANOPHRONIS
ne condecorato,
merendo atq; Clarissimo
NNI BARTHSIO,
abethæ Symmystæ vigilantissimo
mèq; merenti,
nti & Clarissimo
RGIO WENDIO,
il. Pract. Hist. & Eloq. Professore,
pophorum Soc. PLANTAN-
titulo celebri,
Nec non
imo atq; Prudenti
E BURKHARTO,
atislaviensium inter primarios
at postremo,
antoribus studiorumq; suo-
nsilio, & respectivè doctrinâ
bus Maximis, colen-
disimis,
oc ingenii specimen

Devota mente, manuq;
D.D.D.
JOH. WERNERUS.

